Luc. 7. 14
A cruce vita.
Alap.
Virtus Crucis à Chriſto.

batur, cùm Chriſtus Naim portas ingrederetur. Qui portabant, ſteterunt, & Dominus ut adoleſcens ſurgeret, *Tetigit loculum*. Si ſolà poteſtate ab inferis alios reducit, cur modò loculum defuncti tangit? Symbolum Crucis eſt feretrum, ait Alapid. hic. Quid ergo? Si vel in umbra mortuorum eſt revocatio, quare dum in feretro ſepeliendum manus impoſuit; adoleſcens non ſurrexit? An quia Chriſtus non advenerat, à quo vita? Alia latet inſignis cauſa. In ligno puer mortuus iacebat: & deplorabant mortuum, quia ſolummodò lignum. Carebat virtute, quouſque transferretur in arborem vitæ. Nihil lignum prodeſſet, niſi lignum Chriſtus tetigiſſet: & adoleſcens reſurgit, ſimulac Chriſtus feretrum tangit; quoniam per Chriſti contactum, futurum erat vitalitatis exordium, ipſum abominabile mortuorum feretrum. Vide Ambroſ. lib. 5. *Commentar.* in *Luc.*

Quantum ſtudium amoris in ligno ſacrando Crucis.
Plutarc. Natal. Comes.
Lancea Romuli floruit.

Floruit lignum aridum, & factum eſt arbor vitæ pretioſo divino ſanguine. Quouſque accederet rubrica medicaminis, ſignabat vulnera mortis; meditante charitate (dum lignum notavit pro languido homine) quòd eſſet contagij antidotum, idem ipſum lignum, à quo contraxit contagium. Lancea Romuli fixa ſolo floruit, dixit Plutarch. in *Romul.* & Natal. Com. in lib. 15. *Metam.* Ovidij fab. 4. At ſub tempus Auguſti exaruit. His temporibus prodijt in lucem, qui oſtenſurus erat ſuo ſanguine veritatem igitur non tantùm lignum Crucis hominibus floruit; verùm amor effecit, ut eſſet medicina, quæ fuerat lancea. Aptiùs quàm Vates profanus ſuccinere poſſum, *Fab.* 48.

Ovid.

——*Subitò vidit frondeſcere* ::: *haſtam:*
Quæ radice nova, non ferro ſtabat adacto:
Et iam non telum, ſed lenti viminis arbor
Non expectatam dabat admirantibus umbram.

Umbra Chriſti in Cruce.

Poſſum, ut ſedeam ſub umbra, quam dulcis deſiderabat Sponſa, ut inter gentes viveret validiſsimè protecta.

Mors mortua eſt in Cruce.
Oſe. 13. 14.
Quomodò per Crucem mortuorum & viventium reſurrectio.

7 De morte ad auram vitalem, ſicut de ægritudine ad ſolidam undecunque ſalutem, homines floruiſſe certum eſt, & germinaſſe Agni innocentiſsimi ſacro cruore. Revixiſſe etiam, ut unà haberent ſalutem, vitam, & vitam glorioſam. Reſurrectio non ſolùm vità eſt, ſed nova vita: quod quidem miraculum illuſtrat humanum genus: igitur in Cruce, Vindice generis exaltato, ſtat noſtra reſurrectio. Attamen qua via reſurrectio noſtra? Quomodò habebit vitam novam, qui non amiſsit & vitam? Mors ad radicem arboris ſecurim poſuit, & ferrum exilij; quippe mors mortua, cùm retuliſſet Chriſtus potentis vagantis arma. Ideo aculeus, arma mortis, inſtar apis; quæ quidem ſi ſtimulum infixerit, illotùnc fugiens interijt. *Ero mors tua ò mors*! Utique: ineſcata in cruce carne corporis, transfixa eſt vita mortis cuſpide divinitatis. Omnibus victoria fuit, & vexillum Crucis morte patientis, vità viventibus & defunctis: viventibus, ut tranſirent de vita naturæ ad gratiam; defunctis verò, ut tranſirent ad vitam.

Philip. 3. 11.
Caietan.
In cruce univerſa mirabilia.

Quòd ſit huiuſmodi mirabilis reſurrectio, patet ex Paulo, & Roman. 1. 4. & Philipp. 3. 11. ubi dicit: *Si quomodò occurram ad reſurrectionem, quæ eſt mortuis.* De quo nos ſuo loco: lege interibi Caietan. *Ientac.* 2. quæſt. 1. Si reſurrectio mortuorum, ergo etiam reſurrectio viventium: ſuperfluum utique videretur ſuppoſitum, ni luceſceret hoc ſingulare miraculum: & in cruce rutilat huiuſmodi gloria; quia ab ipſa & in ipſa patranda univerſa mirabilia.

Luc. 7. 14. 15.
Alapid.
Mortui homines reſurgũt virtute crucis.

8 Defunctus efferebatur (ut vidimus) filius unicus matris ſuæ. Lachrymabatur vidua, & ſimul quæ comitabatur turba. Chriſtus ergo miſericordià motus, *Tetigit loculum*: & ſtatim reſurrexit defunctus, *Et reſedit, qui erat mortuus.* Obſtupuerunt hoc miraculo cuncti, ſed neſciebant in ſigno magnitudinem miraculi. Adoleſcens mortuus, erat Adamus: ait Alapid. hic, & ad *Epheſ.* 5. 14. Vidua, quæ lamentabatur, natura humana, per illum in regionem umbræ mortis deiecta, ac in cuſtodiam infelicitatum. Crucem præſignabat feretrum. Quid mirum cumulùs miraculorum? Omnes revocandi erant à conditione mortis per myſterium abſconditum Crucis: & Adamus defunctus, ut ſenſit Crucis virtutem, continuò felix obtinuit reſurrectionem.

Ibi. v. 13.
In cruce eſt [illegible]

Ultrà progreditur in miraculo allegoria, ut ſibi gratuletur natura humana. *Noli flere*, à Chriſto viduæ fauſtè dicitur: in qua conditio hominis præſignabatur. *Noli flere*: vitam habes in filij vita. Tibi tribuitur, quod illi conceditur. Neſcio, an ut ſignaret Dominus naturæ humanæ remedium, ſuper illam miſericordià dicitur motus, & non ſuper illum; quia per illum plorabat natura ictum ab originaria noxa, & infecta erat labe ab infecta radice. Aptè dicitur: *Noli flere*, quoniam per virtutem Crucis, ſimul cum filio gloriam habebis reſurrectionis.

Modò ad extricationem teſtimonij. *Noli flere*: dixit Aſſertor N. viduæ matri, propter vitalitatem proximam filij. Mater natura humana, tametſi vidua, vità non eget: cur

Etiam viventes reſurgunt.
Qualiter?

cur enim Chriſtus promiſsione vitæ viduam demulcet? Haud ploraret, & deploraret, quin vitam haberet. Reſurrectio eſt ex mortuis: & ſeriò promittitur reſurrectio gaudenti vitalitate? Utique. Lignum lecti, quo cadaver efferebatur, demonſtrabat mirabile ſignum Crucis, cuius virtus explicanda in mortuos, & in viventes. Reſurrectio ex mortuis patuit ad oculum; igitur portendit ſingulare miraculum: reſtabat demonſtranda per idem lignum reſurrectio viventium: & dum reſurgit adoleſcens Adamus à loculo, univerſæ naturæ proponitur reſurrectio; quoniam ſi per lignum crucis cadaver accepit palàm pignus vitalitatis; excuſſuri etiam viventes iugum duriſsimum mortis: quandoquidem per ipſum lignum cæteri, à vita plorantis naturæ, tranſituri erant in vitam feliciſsimam gratiæ.

Per Crucem cœlũ apertum.

Perſpicuiùs ergo. Et eſt reſurrectio corporis, & eſt animæ. Reſurrectio corporis ſtat in reunione animæ, & corporis. Animæ verò (præter quotidianam, qua homo mortuus accipit à gratia vitam, & vitam vitalem) ſignat gradum eminentiorem: igitur virtitur in eo, quòd anima vivens, & viva per gratiam, ſublevetur ad gloriam. Quouſque feretrum, vel crucis lignum tetigit Chriſtus, vectibus ferreis occludebatur aditus: & illicò ut vita conceditur mortuo Adamo, viventibus animabus impenditur reſurrectio; quia illis, quæ priuſquàm Chriſtus tetigiſſet lignum, detinebantur in ergaſtulis terrarum, attolluntur poſt contactum portæ cœlorum. Meritò iam naturæ humanæ dicitur: *Noli flere*, igitur excidit impoſſibile. Reſurrectio etiam fit ex vivis, per ſtipitem crucis: ſiquidem ingrediuntur ad vitam glorioſam, quæ habebant vitam. Plaudatur auctor huius miraculi Chriſtus; ut annuncientur inter gentes adinventiones, & ſtudia eius.

Ioan. 10. 10.
Quid per crucem ſit vita, & abundantius?
Gratia, & gloria.

9 Verba illius, in teſtimonium æſtuantis charitatis, aſtruunt propoſitum miraculorum Crucis. *Ego veni*, (ait) *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Patet veniſſe in mundum, ut mundus vitam haberet; ſiquidem per Crucem Chriſtus victoriam, & homo vitam obtinuit: verùm latet ſenſus, quid *Abundantius*? Eſt ne vita vividior, ut in vita elargiatur miſericors amplius? Non eſt plus, ubi non ultrà; quid amplius vita, ſi in vita non amplius? Ampliùs in vita, & uberiùs nanciſcitur homo. Quid enim hoc? Animæ reſurrectio. Corpora ſuſcitabuntur opportuno tempore: animæ verò ſuſcitatæ ſunt, ſimulac expiravit Chriſtus in Cruce. Per gratiam acquiſierunt vitam vitalem, & per Crucem vitam omninò felicem; quia ingrediuntur confeſtim ad gloriam, ubi in gratia relinquunt terrenam fabricam. Olim detinebantur in pœnis tenebrarum; licèt vitam haberent ob iuſtificationem mandatorum. Advenit Chriſtus, & modò habent vitam & abundantius; quippequàm quin detineantur, & retineantur in Limbo, collocantur in Cœlo.

Veſtimẽta tactu ligni crucis æſtuant.
Pined.
Gregor. Pap.
Adhærenti cruci terrena nihili.
Ioan. 12. 31.
Quanta obſtinatio cordium renuentium crucis amplexum?

10 Non ignora ſorte inſtitutum eſt, & elaboratum ſanguine huiuſcemodi lignum, ſed ut eſſet hominibus cunctis panchreſtum. Memini fœminam quamdam caſu accedentem ligno (quod futurum erat Crucis, & ſerviebat pro ſedili in Salomonis templo) quaſi ſtupidam factam fuiſſe, & veſtimenta illius ignoto igne ſubitò conflagraſſe. Adi Pined. de *Rebus Salom.* lib. 5. cap. 14. Sect. ultim. Tropologiam magis, quàm hiſtoriam aucupor. *Quid enim ſunt terrena omnia* (inquit Gregor. Magnus Homil. 32. in *Evang.*) *niſi quædam corporis indumenta?* Parum curat de veſtibus charitas. Ad quid igitur ornatiſsima veſtimenta, dum flagrant viſcera? Nudus Chriſtus aſcendit in crucem; ut erudiret hominem abrenunciare terrenis, ſi adhæret ſtipiti crucis. Signum ſanè ictus cordis dulciſsimà cuſpide, univerſa terrena conflagrare. In trunco omnia Chriſtus ad ſe traxit, & mundana deſtruxit. Ideo *Iudicium* exponitur *Mundi*, dùm Crucifixus exponitur: & etiam dum fulget transfixi pretioſa charitas, *Princeps huius mundi eijcitur foras.* Corda minimè ardent, ac Crucifixum & pro nobis lumina vident. Sunt enim ſaxis durioſa: igitur videntes Crucis ſigna, plures revertuntur, quin percutiant pectora. Si cor lapidum, & ex ſilice, flammeſcat crebris ictibus ferri: clavos habet in cruce, ſuſpiria loco ignitabuli. Scindantur corda, ut flagrent in ſignum contritionis veſtimenta. Sequamur ergo veſtigia crucis, quæ cauſa quidem totius humanæ felicitas. Canit Honor. Fortunatus.

Fortun.

Fertilitate potens, ò dulce & nobile lignum!
Quando tuis ramis tam bona poma geris.

DIDASCALIA XII.

Sepulchrum Virginis non admiſit interitum.

Andr. Creten.

1. Dixit & iurè Andreas Cretenſis *Orat.* 1. de *Dormition. Virgin.* cap. 8. Si reſpuit interitum, non erit ſepulchrum: igitur in ſepulchra inferuntur cadavera;

vera; & perperàm cadavera ſine interitu, cùm nemo vivens requieſcat in loculo: Quid enim Cretenſis intendit, dicens Virginis ſepulchrum non admiſiſſe, in morte licèt, interitum? Mortem Virginis fuiſſe mortem, ſed vitalem; quia etſi illam tenuit, non retinuit. Dentibus ſuis fremet, & tabeſcet: ſiquidem non videbit interitum, cùm viderit ſapientes morientes, quia vivent adhuc in fine. Verùm hoc latè inferioribus Didaſcalijs. Audiatur Dracontius de *Opere ſex dierum*. v. 380.

Mors Virginis vitalis.

Funera viva gerens, vivax in morte cadaver;
Ac ſine morte tamen, vitali morte perempta
Et rediviva ſalus, reduci per membra vapore,
Naſcitur, & calidus repetit vitalia ſenſus.
Oſſa tenens, venaſque ciens, ſudanſque medullas.

Drac.

Abſre utique ſepulchro conditur, *Quæ vitali morte tegitur*: dicitur à Damaſceno Orat. 1. de *Dormit. Virg.*

Damaſ.

2. Patet igitur nova lux acuminis, ut illuſtretur nucleus iam pertritæ auctoritatis. Pœnà mortis (& propriè ſupplicio capitis) interdicitur Protoplaſto arbor ſcientiæ boni, & mali. *Morte morieris*. Ad quid *Morieris*, in ſententia mortis? Quia mors poteſt eſſe vitalis. Vitalis eſt, cùm latuerit corruptio mortis aſſecla; & ut aptiùs loquar, intimè ſocia. Morte verò moritur; qui poſt mortem lentè corrumpitur: & Adamo delinquenti dicitur, in morte paſſurum mortem; quia etiam poſt mortem revertetur in pulverem. Poſſunt ipſa cadavera mori, dummodò ſint pulvis in ſepulchro, & non cadavera: unde mors invaſit Adamum, quanvis mortuum; quia ſepulchrum eius admiſit etiam interitum. Mors poſt mortem nullibi; ſi quod funus, ſtridet iubar ignis anheli: quapropter cùm non viderit interitum ſepulchrum Virginis; meritoquàm dicitur in ſepulchro mors vitalis.

Geneſ. 2. 17.

Diſcrimen mortè morientis, & mortis vitalis.

3. Viſio magna proſpicitur à Moyſe, ſcilicèt rubus, quem videbat ardere, ſed non comburi. *Vadam* (ait, novitate ductus) *& videbo, quare non comburatur rubus?* Sepulchrum rubi erat ignis: & patet ſpecies magnæ viſionis; in morte, ut fragilis eſſe, & in ſepulchro non mori. Ardent ligna, dum hæret flamma elementi voracis; comburuntur, introductà formà ignis; qui quidem in ſignum ovationis, relinquit cineres. Si aliquod Virginis mortis effingerem ſymbolum; haud perplexè eligerem rubum. Arſit equidem in morte; ſed non comburitur igne: quoniam, etſi valuit in auram corporis ſacri vitalem, neutiquàm illud potuit reducere in cinerem. Communis ſors mortalium, iacere in pulvere; poſtquàm iacuerunt in morte: rubus corporis Virginis ardet, quia amore moritur, attamen vel in igne non comburitur; quoniam vel in umbra mortis, illius erat mors vitalis. Non mors, ſed umbra: cinis haud videbatur in flamma. Viſionis ergo magnæ encomio, plaudatur ab omnibus huiuſmodi viſio: quippequàm ita ſepulchrum flammæ reſpuit Virginis interitum; ut non appareret in cinere, nec corruptionis veſtigium.

Exod. 3. 3.

Rubus incombuſtus ſymbolum Virginis.

Mors Virginis umbra mortis.

Ultrò. Ardebat, & non comburebatur. Ergo non ignis. Minimè: ignis erat, & prævalens, quandoque ardebat: rubus ſuperabatur, & ſuperabat; ac triumphum Virginis morientis de ipſa morte portendebat. Verùm quomodò? Proclivè: ignis igitur extinguitur extinguendo: & Virgo ut rubus ardet; & non comburitur, dum mors in igne proponitur; quia ſi mors traxit triumphum à Virgine, Virgo moriens reportavit ex morte.

Cur mors Virginis comparatur igni?

4 Appellabimus mortem ne? Ambigit Damaſcenus, ubi ſupr. Procul ergo à morte mors Mariæ. Si mors Virginis vitalis, quo pacto teſſera mortis? Ut poſſet mors erigere inſignia victoriæ, arripere debuerat totam vitam a cadavere. Unde mortis trophæum, ſi in morte cadaver vivum? Mors potuit eſſe, ſed latuit ſub habitu vitæ. Non *Pallida*, ut dixit Horat. *lib.* 1. *Carm.* Od. 4. Non *Gelida*, ſicuti arbitratur Ovid. lib. 2. *Amor.* Eleg. 9. ſed mors vitalis & vivens. Vivax igitur in morte cadaver, ut trophæum potentis mortis, eſſet inſigne potentioris Virginis.

Horat. Ovid.

In arenam deſcenderunt pariter Priſcus & Verus coram Cæſare athletæ, qui quidem iudex elargiturus palmam validiori. Æquo Marte, longo temporis ſpatio, perduravit utriuſque ſtrenuitatis contentio; ſed tamen mutuis ictibus cecidere vulnerati, & remanſerunt vivi. Pugnavere pares: ſuccubuere pares. Blanditur ergo Martialis Cæſari, *Epigram.* 30. *Spectacul.* & infit:

Mirabilis pugna, ubi utrique ſuccumbenti adhæret palma.

Contigit hoc nullo, niſi te ſub principe, Cæſar:
Cùm duo pugnarent, victor uterque fuit.

Mart.

Fallitur: acciderat, & ſub meliore Principe. Initur pugna inter validam mortem, & vitæ matrem. Eò animos ſumpſit falx mortis, quòd prævaluerat in vitam. Erigebat etiam Virginem in ſpem bonam, quòd dederat mater ſpiritum, cui de morte triumphante reportaverat triumphum. Indeciſa cauſa, & fortis pugna, igitur in conflictu neutra cade-

bat animo. Quid ergo? Pugnavere pares: ſuccubuere pares. Prævaluit mors, quia vitam retulit: ſuccubuit mors, quia cadaver vivax manſit. Illa victrix, quippe cadaver vidit ſepulchrum: & pariter victa; igitur ſepulchrum non vidit interitum. Utraque victrix: mors, quoniam abſtulit reſpirationem à Virgine: Virgo, ſiquidem triumphum ſegregavit à morte. In morte pugnatrice, nobilius ſtemma mors Virginis; in Virgine, quod mors eſſet mors vitalis.

Mors quomodo victa & victrix in Virginis morte?

5 *Ego dormio, & cor meum vigilat*: altè percuſſo charitate dicebat Virgo Deipara, Sponſa. Dormit vigilans: vigilat dormiens. Hac enim contrarietatem, pugna, & victoria oſtenditur mortis, & Virginis. Dormitio mortem indicat. Quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago? Vigiles oculi vitam exprimunt. Eſt vigilare vita. Si dormientibus oculis, haud cor Virginis vigilaret; ſibi mors in morte coronam arriperet. Ni dormiret, vigilante corde; privilegiata videretur à mortis pœnalitate: ut autem ſuccumbant pariter utraque pugnax, & utraque victrix; Virgo moriens vigilet, dormiat, moriatur, vivat. Ut vivat, vigilet: ut moriatur, ſoporetur: ſiquidem ſi in morte illius ſtat inſigne prævalentis mortis; ſuccumbit etiam, dum Virginis mors vitalis.

Cant. 5. 2

Virgo in morte vigil dormit.

Clareſcat Virginis Matris victoria. Vigilat dormiens, ut vel in morte ſit victrix. *Ego dormio* (inquit) *& cor meum vigilat*. David autem: *Ego dormivi, & ſoporatus ſum*. Quid eſt hoc? Dormit, & ſoporatur? Quis non? Cur ergo quaſi novum: *Dormivi, & ſoporatus ſum*? Neutiquàm novum. Sanè, verùm exprimit vigilanter diſcrimen in morte humanæ conditionis, & excellentiæ dormitionis. Virginis. Iſthæc non dormit, dum dormit: vigilat namque dum moritur. David verò dormitat, & dormit, ſi ſoporatur; quia in David uti homine, mors communis, in Virgine ſingularis. Communis, quia moritur etiam poſt mortem: ſingularis quia moriens obtinuit vitalitatem.

Pſal. 3. 6.

In ſingulari Virgine mors etiam ſingularis.

Clariùs. Mortis poteſtas plùs eminet in ſepulchro, quàm in interitu: quippe liquet, quid potuit; ubi cadavera in terram, de qua ſumpta ſunt, reducit. Dormit, & ſoporatur; quicunque per mortem in ſepulchro corrumpitur. Vigilat qui, etſi cadaver, illibatus perſeverat: Unde Virgo in morte dormit, & vigilat; quia mortua non ſenſit pulverem: & David ſoporatur, dum dormit; quia moriens vidit in ſepulchro corruptionem. Succinit Cretenſ. ubi ſupr. dicens: *Conſecuta eſt vitæ finem, partui non abſimilem*. Sed cur? Cogitato.

Non ſoporatur dũ moritur.

Andr. Creten.

6 Celebris Antiquorum ritus in funeribus: quod ſi lubet, adire Raviſ. Textor. in *Officin.* poſſis. *Oculos morientibus operire, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritum magno ritu ſacrum fuiſſe*: ait Pierius Valer. *Hieroglyph.* lib. 33. cap. 13. Inſtituit Romanorum arrogantia eiuſmodi morem, portendens vel in morte inexorabili fucatam immunitatem. Haud valuit, ut voluit; & ſuffecit pro vita iuxta ignem apertionem oculorum, ut oſtenderet aliquomodò contra Parcas privilegium. Aptiùs dixerim vanitatem vanitatum. Memento te, fatue, hominem eſſe. *Nulla mortalitas cum exceptione eſt*: inquit vita, quin diceret Seneca *Epiſt.* 58. Quicquid ſibi Romanus inaniter arrogat, Virginem Deiparam glorioſe beat. Lumina in morte claudit, ſed cor vigilans non dormit: igitur ſi vitam ſignat vigilia, & dormitio clauſis oculis mortem; dormiens vigilando in morte, habebit vel exſpirans vitalitatem.

Pier. Valer.

Mors humanâ cadavera apud Romanos.

Senec.

Quid enim optet Regius Vates expendendum; ut Virginis clareat, quam glorioſum ſit ſepulchrum. *Illumina* (ait) *oculos meos, ne unquàm obdormiam in morte*. Illuminari oculos in morte, eſt profectò videre; eſt dormire, & vigilare. Vult mori, & non mori? At impoſſibile in mortalitate conditionis; ſed obtinetur, dum occurrit mors vitalis, qua clauditur oculus, & illuminatur in tenebris animus. Singularis mors optatur, & ſolummodò Virgo conſequitur: igitur in communi oculus etiam luce tenebreſcit, & in pretioſa, vel in tenebris lucet, quia dormiens videt.

Pſal. 12. 4.

Qualis conditio mortis vitalis!

Intende. *Ne unquàm obdormiam in morte*, Somnus, & mors proponuntur. An per imaginem? In æternam clauduntur lumina noctem. Mors, & ſomnus claudunt oculos: & in tranſitu Virginis ſomni & mortis idem ſenſus; quippequàm mors vitalis (qua ex hac vita migravit) dulcis eſt ſomnus, quo corpus placidiſsimè quieſcit. Intereſt inter mortem, & ſomnum, quòd in morte in perpetuum oculi clauduntur, ne obdormiant; in ſomno autem rursùm aperiuntur, & illuminantur: & in morte qua clauduntur, illuminantur lumina Virginis; quia adhuc in morte eſt compos vitalitatis. Claudit oculos, quaſi dormitans moriens, quæ in umbra funebri ſpectatur vivax videns. Apta comparatio ſomni: igitur ſaxò mortuæ adhæſit reſurrectio Virgini, quandiù clauduntur, & aperiuntur oculi.

Mors Virginis pro...nus du...

Adhuc in tenebris mortis corpus eſt vitalitatis.

Denique. Conſequentibus vocibus triumphum Deiparæ Vates ſacer appoſitè innuit: *Illumina oculos, ne unquàm obdormiam*

verſ. 5.

ntiam in morte. Quid ſecùs intereſt? *Nequando dicat inimicus : Prevalui.* Vivida vox. Haud cavet, quòd dicat mors inimica *Valui*, ſed *Prævalui.* Valet mors, dum corpus iacet ſine vita : prævalet, cùm poſt vitam nec corporis patet forma. Valet, ſi homo moritur : prævalet, ubi corpus in pulverem ſenſim revertitur : & in morte Virginis (quæ triumphum obtinuit) mors glorioſa valuit; ſed non prævaluit : etenim quanvìs corpus guſtavit mortem, non vidit cinerem. Haud Virgo moritur moriens:ſuccumbit victrix:ſiquidem dum mors valuit in Virginem ; Virgo prævaluit in mortem : quippe in ſignum mortis undecunque vitalis; Virgo obdormit in morte patulis oculis.

In Virginis morte mors valuit, ſed non prævaluit.

7. Habet mors, ut ſuprà leviter tetigi, triumphum; & trophæum. Triumphum in vita : trophæum autem poſt vitam. Primum irruendo obtinet ; ſecundum verò, dum quieſcit;quia quicquid poſt ictum falcis peragitur, familiari tempori fiducialiter creditur. Si mors ex mortuo non erigit trophæum, amittit infeliciter triumphum. Unde Paulus moriente Chriſto in cruce (iam guttis cruoris ſacri decora) dicit iurè : *Ubi eſt mors victoria tua* ? Ubi pulveris trophæum ? Amiſiſti ſanè triumphum. Viciſti cædens, & cecidiſti. Ceſsit ille, & cecidit; igitur ſeipſum ſuſcitavit. Ubi ergo victoria? Non eſt in morte, niſi nominis umbra. Perperàm namque contemplaretur potentiam pugnacem ; qui ut illam vinceret, non deſcendit in pulverem. Larva tantummodò patet mortis; cùm ſine trophæo triumphi duntaxàt exhibeatur ſpecies.

Mors victa in Chriſti morte.

1. Cor. 15. 55.

Qualis triumphus & trophæum mortis?

Poſt alia mirifica, quæ Ioannis eſtatici illuſtrarunt intellectum : vidit in throno *agnum tanquàm occiſum.* Obſerva modificationem. Agnus hic ſignificat Chriſtum Dominum, & in cruce (ut mortem vinceret, & infernum)diriſsimè paſſum. Vide Haye, Alcazar, Viegas, Riber. & Alap. hìc. Chriſtus Hyperaſpiſtes in clientela humanæ conditionis, reapsè paſſus, & occiſus ingenio crudelitatis. Reverà amiſit in ligno vitam : ad quid ergo ly *Tanquam* ? Deſcribat Ioannes in throno agnum mortuum, tanquàm vivum ; non vivum, & quaſi mortuum. Si diceret *Tanquam vivum*, exprimeret aptè victoriam Chriſti partam in morte de morte. At videns *Tanquàm occiſum*, qui verè mortuus eſt, agnum ; inficiatur tacitè mortis infigentis ictum : & diſſonat exprimere per ſimilitudinem, quam credimus veritatem. Graphicè mortuum expoſuit, ubi in occiſione quaſi occiſum demonſtravit. Confert ſigna mors cum vita in campo pectoris, quod bellum indixit ab inſtanti conceptionis. Expugnat, & expellit ab arce vitalium vitam ; & minimè quieſcit inſequendo victoriam. Nititur in ſecundo ſtemmatæ claritas primi : ideſt, in trophæo pulveris adorea intenta certaminis : aliàs licèt micet triumphi ſtemma, manet & victoria victa. Modò intende. Mors in conflicto intulit validè falcem ; verùm cadaver non vidit in ſepulchro corruptionem. Corruptio cadaveris comprobat potentiam mortis : & eſtò occiderit in cruce Dominum, duntaxàt videt Ioannes quaſi occiſum ; quippe ſi cadaver haud inducit in pulverem, mors eſt tantùm ad ſpeciem. Hiſpan. *No confirmando con el polvo del ſepulchro la victoria , parece la muerte una muerte de apariencia.* Ubi eſt mors victoria tua ? Ubi ſigna ? Solummodò habebis nomen, ni demonſtraveris pulverem.

Apoc. 5. 6.

Cur Chriſtus agnus tamquàm occiſus?

Vita hominis militia eſt.

Non cadaver cadaver quid non videt corruptionem.

8 Decubit Maria ? Ceſsit utique, & deceſsit : cæterùm mors non prævaluit: igitur cùm corruptio aſtruat in pulvere poteſtatem, ſine cinere erit tantùm vel in morte mortis nomen. Nequaquam lugebimus in ſepulchro extinctam vitam, cùm illam veneramur tanquàm mortuam. Oſculana pugna fuit Deiparæ & mortis ; ſiquidem occubuere pares. Parum dixi : Victrix ſolummodò Dei Genitrix, licèt mors victrix ; quoniam per cadaveris meritam exemptionem, vicit victricem. Hoc Oſculana pugna ſignatur, ubi vincitur victor.

Mors victrix vincitur à Virgine Matre.

Huiuſmodi monomachiam Virginis & mortis, odor (ni fallor) in conflictu Pharſalico Pompeij & Cæſaris. Hìc civilis belli procella detonuit, & victoria in victum à victore avolavit. Primò Io Io pro Pompeio conclamatum, igitur fauſto Marte, nactus eſt triumphum : ſed vel deſes, vel pius haud inſecutus eſt Cæſarem, qui quidem revocans dextrè militem fugitantem, irrupit ſubitò in oſcitantem victorem ; ac victus lactatus expectatione triumphi, victoris vexilla conſtravit Pompeij. Unde Cæſar ſibi complacens, iterabat : *Pompeius ſcit præliari, ſed neſcit vincere.* (Plutarch. & Sueton. in *Cæſar*. Eraſmuſque in *Apophthegm.* lib. 10) Neſcit vincere, quia habuit palmam in pugna, quin acceperit à victoria : quæ meritò elapſa eſt, è manibus, cum indulſit hoſtibus. Nos dicimus : *No ſeguir la victoria.* Ad mores aliquando.

A victoria multi victi.

Plutarc. Sueton. Eraſm. *Cæſaris, & Pompeij victoria.*

Sic res ſe habuit, quando Virgo ut filia Adami diem ſupremum ovans obijt. Verùm quomodò ovans ? Parca non triumphans? Securi indeclinabili vita Virginis ceſsit: utique. At moritur ut filia Adami, & quia voluit.

Moritur ut quædam mulier, non ut mater : ſed etiam ut mulieri datæ ſunt duæ alæ aquilæ magnæ ; ut anima volaret fugiens in cœlum, ubi habebat filium. Mors in articulo adepta eſt victoriam ; & freta ſocio tempore, prætermiſit palmam : quam quidem breviſsimis decurſus momentis, demonſtràndam putabatur literis pulveris ſepulchralis. Mors ſtuduit præliari ; ſed neſcivit vincere: igitur reunione animæ glorioſæ, & corporis in obitu victi, vicit victa Virgo victricem in morte mortem ; à cadaver excutiens ſepulchri pulverem. Unde demiſit; & miſit mors victa palmam, vel conſecuta victoriam. Niſa triumpho, amiſit pallida triumphum, quin haberet inflicti ictus teſtimonium. Plus Virgo morti in iactu conceſſit, ut plus arriperet. Invalidam indicaret mortem, & etiam contendentem inbecillem; ni vinceret vitæ tantæ exuvijs inſoleſcentem. Dum crevit utriuſque pugna, crevit & pugnantium gloria. Ubi eſt mors victoria tua? Haud reſpondebit : amiſit.

Mors victrix in morte Mariæ neſcivit vincere.

Vel animo aſſumpto ex morte Virginis, ceſ.it ſecuris valida mortis

9 Cæteri ſpiramus, ſuſpiramus & expiramus:at Virgo vivit in ſepulchro, ſtatque vivax moriendo. Reliquis filijs Adam mors eſt mors ; quippe in ore ſecuris iugulat vitam: cæterùm aquæ, univerſali huiuſmodi mortis dilubio, *Elevaverunt arcam.* Alij mors, ut corruerent infernè : Virgini verò, ut elevaretur in ſublime. Iacet vivens : non moritur moriens.

Gen. 7. 17

Encomium Eliæ à Siracide prolatum, Aptiùs circunſpicitur Virginis morientis encomium. *Nos* (ait) *vita vivimus tantùm: poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum.* Nota. *Poſt mortem.* Mortuus eſt? Neutiquàm. Segregatus ab hominibus degit : conditio humana illius ſuffragio, & præſentia indiget : ac vivus iudicatur in regione mortis ; quia *Non ſibi vivit, qui non alijs*: ait Senec. *Epiſt.* 55. *Poſt mortem.* Inutilis videtur collatio vitæ noſtræ cum morte Eliæ,quandoquidem zelator non eſt mortuus, ſed in paradiſum vivens translatus. Quomodò in morte noſtra vita non lucet, ſicut in morte Prophetæ; ſi moris non interfuit in tranſitu Eliæ? Hoc eſt Mariæ privilegium, cum mors ducit ad ſepulchrum : igitur dum vitam dimittit, ad vitam tranſit. Nos vità vivimus tantùm moritur Virgo ut filia Adam, ſed non moritur ut nos : ſiquidem vivit in morte, quod in nobis profectò non erit tale. Nos vivimus, & morimur. In Virgine prærogativam ſingularem intuemur : unde in morte Virginis glorioſiſsimus tranſitus ad Eliæ tranſitum refertur, qui non eſt mortuus ; quia ita vicit mortem ictu victricem, ut haberet in morte mortem vitalem. Perperàm ſepulchrum videbit interitum, ſi cadaver nullatenùs vidit ſepulchrum.

Eccli. 48 12.

Principis vita non ſibi.

Senec.

Cur Elias dicitur mortuus?

Mors Virginis vitæ confertur.

Moritur Phœnix.

————*Nam ſpontè crematur,*
Ut redeat , gaudetque mori feſtinus in ortum,

Ait Claud. de *Phœnic.* Sed de hoc latè hìc *Didaſcal.* 16.

Claud.

DIDASCALIA XIII.

Mors morte pianda.

1 Concinuit Vatum facilè Princeps Ovid. lib. 8. *Metam.* Fabul. 4. *Mors* (ait) *morte pianda, & in funera funus.* Altiorem alluſionem habemus, quàm intendit Ovidius. Intende : *Morte morieris*, dicitur Protoplaſto ; quando prævaricator, & perduellis pœnas, & partes ſubſequaris deſertoris. Secutus eſt inſidiantem invidum, abdicens Dei comminationem, & præceptum. Morte mortuus eſt : ſed quomodò mortuus ? Quomodò ſi illicò moritur, morte morietur ? Mortuus eſt mente, & morietur corpore. Morietur carne, quia mortuus iacebat mente : & etiam in lata, & illata pœna, divina prorsùs relucet miſericordia ; quippe ſi iuſtitia diſtrictè morte animæ audaciam terruit, in capitis ſupplicio miſericordia medicinam exhibuit : igitur expiata fuit aliquomodo mentis, per mortem corporis. Haud pœna gravatur geminata pœnà. *Quemadmodum quædam haſtilia detorta , ut corrigamus adurimus , & adactis cuneis , non ut frangamus, ſed ut explicemur, elidimus*; (ait Cordubenſ. lib. de *Ira* cap. 5.) *ſic ingenia vitio prava, dolore corporis, animique corrigimus. Vitiorum odium pretium virtutum.* Mors Adamo delinquenti geminatur, & ſupplicium in ſupplicio clàm indulgetur : igitur in adacta piaculi pœna, intenditur ſceleris medicina. *Morieris* pœna gravis. *Morieris morte.* Langueſcit forma ſententiæ ; ſiquidem quia etiam morieris morte corporis, non morieris. Si mors per peccatum intravit in animam, etiam corporis patieris ruinam Morieris, & morte morieris : at mortis geminata tirannide, liberaberis à morte ; quippequam per mortis pœnam, ſalvabis animam.

Ovid.

Gen. 2. 17.

Mors Adami morte piatur.

Vel in iuſtitia Dei relucet miſericordia.

Senec.

Corporis pœna eſt animi medicina.

2 Adhuc ſupereminentiorem viam demonſtrabo, cùm mortui ſint omnes, quia primus homo. Mors animæ in hac hominis duplici morte (ut dixi *Didaſcal.* 11. num. 9.) eſt adhuc in vita vitali gratiæ, carentia gloriæ;

Morte Chriſti mortua mors.

riæ, & mors hominis erat morte pianda; quia niſi moreretur vita, non eſſet futura gloria. *Si homo non periſſet, filius hominis non veniſſet. Ergo perierat homo: venit Deus homo, & inventus eſt homo. Perierat homo per liberam voluntatem: venit Deus homo per gratiam liberatricem.* Hæc Auguſtin. quo ſolet ingenio, Serm. 8. de *Verbis Apoſt.* Qualis igitur huiuſmodi gratia liberatrix, in *Pſalm.* 63. v. 7. idem Doctor expreſsit, inquiens: *Haud crucifigeretur niſi homo, haud moreretur niſi homo. Sed ſi ille non eſſet homo, non liberaretur homo.* Ergo quia mortuus eſt homo, vitam poſsidet mortuus homo. Mors morte piatur, & homo ne morte moriatur, moritur homo. *Mors ero mors tua*, comminatus eſt morti. Fides haud excidit: ſiquidem cuncti generis occidit mortem, perpetiens crucem.

August.

Idem.

Oſe. 13. 14.

3 Inter aves reprobatur Charadrion, tùm *Levit.* 11. 19. cùm *Deuteron.* 14. 18. Charadrium pro Ictero aliqui uſurpant. Plutarch. (*Sympt.* lib. 5. quæſt. 7. Heliodorus *Æthiop.* lib. 3. cum Æliano. Si lubet, concordiam & diſcrimen vide apud Nicol. Cauſin. *Obſervat.* in Clementis Alexand. *Hieroglyph.* 23. Avis haud reproba, igitur à Deo facta: reprobantur hominum mores, qui huius proprietatibus alitis ſunt affines. Cur ergo à Sancturaio eliminatur, qui morbis pluribus vel aſpectu medetur? *Si quis morbo laboret, ſitque hominis ægritudo lethalis* (profert Epiphan. in *Phyſiolog.* ſymb. 23.) *proſpectum ſuum Charadrius ab illo avertit.* Carpuntur ne qui obliti officiorum charitatis, & aliquando incumbentis, refugiunt aſpectum ægroti, ob timorem contagij? Carpuntur. *Si verò* (inſit) *morbus vitæ ſæcuritatem promittat; tunc Charadrius in ægrum intendit viſum.* Refrigeſcit charitas, dum urget: ſiquidem ita tædet, ut non ſolùm renuant viſere, & aſpicere, verùm nec proſpicere: ideſt, aſpicere à longè.

Lev. 11. 19.

Charadrius an Icterus?

Cauſin.

Epiph.

Commendatur charitas Præſidis erga ægrotantes

Cauſa averſionis luminum in Charadrio, non eſt, ut aliquibus placet, quia afficiatur, eò quòd homo afficitur (in huiuſmodi compaſsione charitas Pauli extollitur: *Quis infirmatur* (ait) *& ego non infirmor?*) ſed quia contagione, dum languentem aſpicit, ſe affici ocyſsimè ſentit, tranſeunte in ipſum per obtutum, alterius affectionis gliſcens contagium. Excutit incommodum commodum alieni capitis, in opprobrium dilectionis: igitur æger languidè perit, cùm poſsit aſpectus eius operari, ne periret. Ne moriatur homo, abolenda eſt ægritudo; quæ quidem conſtabit, ni Charadrius ſpectet. Si lethalis ingruit, avertit faciem. Ergo eijciatur extra Eccleſiæ limen: ſiquidem pro dedecore charitatis, nobilis avis vilis exhibetur oculis; quia potens ſalvare languidum, & prætermittit calamitatis remedium. Nec dilectionis, nec beneficij rutilat magnitudo, dummodò gratia fiat ſine conferentis periculo, vel diſpendio.

2. Cor. 11. 29.

Cur Charadrius reprobus?

Gratia cum utilitate conferentis non teſſera dilectionis

Quàm longè à Chriſti viſceribus charitatis, qui ut *Bonus paſtor animam ſuam dedit pro ovibus ſuis*! Pro grege ſuo mori dignatus eſt, & mortuus, ut perimeretur mors. *Dedit ſe, ut liberaret populum, & acquireret ſibi nomen æternum.* Illicò ergo ut Adamus corruit, amor de cœlo proſpexit: & ita diſpoſuit, ut non averteret faciem, quanvis obtutus ingereret mortem: imò ſuccumbens reſtitit, ut mors hominis, illius morte enervata, ſuccumberet. Haud proiecit hominem à facie ſua, dum facies, etſi ſibi incommodè, homini perſiſteret medicina: quinimò in demonſtrationem ſupereminentioris charitatis, hominem vidit, avertens faciem à peccatis hominis. Quo ingenio, diximus *Tautolog.* 4. *Didaſc.* 3. Plurima paſſus eſt, ut homo non pateretur: vita pro vita profunditur: moritur, ne qui mortuus fuerat, moriatur; & mors morte crebra foveretur, intentum charitatis fuit mors mortis: & pro nihilo habuit obire pœnam, quandiu conferret moribundo vitam. Rutilat fidei pectoris demonſtratio, hominis utilitas proprio diſpendio.

Ioan. 10. 11.

1. Mach. 6. 44.

Chriſtus quomodo hominem vidit, & non vidit peccatum in homine?

Intentum ſuæ charitatis fuit mors mortis.

4 Medicus novus in hunc mundum deſcendit: & novam artem medicinæ docuit, Medicus Deus. *Ego Dominus ſanator tuus.* At illicèt ut apparuit homo, nova præcepta dedit mundo. *Annunciate inter gentes ſtudia eius*: dixit Pſalmographus. Quænam ergo ſtudia? Mandata nova? Schola ſingularis! Celeberrimæ ſanè medicinæ theſes, ubi non tantùm obſequium; ſed etiam ut præſtet, exhibetur ſtudium. Verbum, ut Sapientia Patris, cognovit languorem hominis: & noluit medicari ſub Dei forma, ſed ſub hominis materia. Sapientia Divina remedium decrevit, & amor medicinam expoſuit: quippe Sol in cuius pennis ſanitas (ut rutilaret medicinæ novitas) haud medicatus eſt ſapientiæ dogmatibus, ſed charitatis flagrantis medicaminibus. Hoc eſt novi medici ſtudium, & novum medicamentum: igitur ſi per ſtudium acquiritur ſcientia medicinæ præſtabilis in languentem, decreto charitatis in medio terræ operatus eſt ſalutem. Ductus aphoriſmis ſcientiæ, artem in ſalutem exercet medicus; ſed medicus haud moritur, ut reſurgat ægrotus. Hoc dogma in ſchola tantùm excellentis vehementioris cha-

Exod. 15. 26.

Pſal. 9. 12.

Chriſtus medicus novus.

Quale ſtudium charitatis?

Diſcrimen inter medicamina ſcientiæ & amoris

charitatis. Crux eſt cathedra magiſtri docentis. Morte medici ſalvare infirmum, in principijs medicinæ ſanequàm novum: & Chriſtus diſpendio vitæ remidit ſtigmata hominis, in demonſtrationem ſtudij ſingularis charitatis.

5 Medicus inſignis (quid mirùm? Erat cœleſtis) plauditur Aſſertor N. & iurè: curavit omnem languorem, & omnem infirmitatem. *Omnes male habentes curavit* (ait Matthæus) *ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes portavit.* Diſtant, uti opinor; ad ſpeciem, & propoſitum factum, & Prophetæ vaticinium. Medicum Evangeliſta deſcribit, ideò dicit: *Malè habentes curavit*, Propheta verò infirmum prædicit; igitur *Infirmitates noſtras accepit*. Quid iſtud? Portare languores mundi eſt medici officium, vel tollere? Auferre, vel ferre: Qua via adimplebitur Iſaiæ vaticinium, præſignantis ægrotum ubi Matthæus ægrotantium demonſtrat medicum? Medicus eſt, qui vulneri medicamen apponit: ægrotus qui moleſtiam vulneris ſuſtinet. Quomodò igitur plauditur cœleſtis medicus, dum cruciaminibus laborat ægrotus? Quia Cœleſtis, & laureatus in ſchola charitatis. Valet æger induſtriâ medici, & vivacitate medicinæ (quod quidem opus ſcientiæ) ſed vitæ medici non fit diſpendium, ut vita confirmetur ægrotantium. Conferre vitam propriam in medicinam, omninò eſt ultrà ſapientiam: at Chriſtus pro novitate artis, & ſingularitate theſis, in hominum inveterato languore, vitam propriam ſuffecit pro medicamine.

Matth. 8. 16. 17.

Chriſtus cœleſtis medicus.

Chriſtus cùm hominem infirmum dilexit, vitam propriam medicamen adhibuit.

6 Patet modò ſenſus Evangelici hiſtoriographi, & vaticinij Prophetæ: Omnes languidos, & malè habentes curavit; quia infirmitates accepit. Impoſsibilitas indicabatur ſalutis, ni remedium procederet ex cathedra dilectionis: igitur niſi infirmitates omnium ſuſcepiſſet, minimè omnes laborantes curaret. Non medicus deſignatur qualis qualis, ſed archiater cœleſtis. Unde quem Propheta prædicit ægrotum, Evangeliſta conſultò deſignat medicum; ſiquidem niſi ipſe ſe in ſalutem apponeret medicamen, homo languidus, nunquam conſequeretur ſalutem. Non medetur ſcientia, licet cauſæ ſit cognitio. Valet medicus, & languet homo. Omnes infirmabamur per carnem, & valituri quidem per medicinam inſignem: quippe medicus ut ſingularis ſubijciendus languori, ut nos languentes vindicaret à contracta infirmitate. *Tradidit ſemetipſum pro nobis*: & illo tunc plauditur Protomedicus cœleſtis. Cœleſtis eſt, quem charitas promovet, non quem ſcientia vel inſignis inſtruit: & Chriſtum iurè in ſchola medicum inſignivit ſingularis charitas; quia ſuſcepit languores, & infirmitates noſtras.

Medicum cœleſtem ſeipſum expoſuit, cùm omnium hominum infirmitates ſuſcepit.

Epheſ. 5. 2.

Cæterò. Scientia ſi medicatur, dolorem expellit: ſi amor medicus, dolor languentis apud medicum manet. Amor ſapientiam allexit de cœlo in mundum, ut ſalus fieret languentium hominum. Neque herba ſanavit, nec malagma, ſed tuus Domine ſermo, qui ſanat omnia: at non amor medicamine ſermonis, ſed ſapientia malagmate charitatis. Sermo ſcientiæ ductus amore, decernit herbam: amor ducens ſapientiam, appinit vitam: & medicus ut adimpleret propoſitum amantis demonſtrationis; iuravit in dogma ſapientioris charitatis: igitur perit medicus, ne periret ægrotus.

Hominem haud ſanavit amor ſcientiæ; ſed ſcientia amoris.

Niſi ut homo moreretur, moreretur homo. Vitale ingenium amoris in medicamine vulneris; ſiquidem innocens moritur, ne obnoxius morti moriatur. Quæ non rapuit, exolvit: medicum ſe cœleſtem exhibuit; quandoquidem Ieſus cruci damnatur, & Barabbas impunè dimittitur. Quis audivit unquàm tale? Longè ſcientia verſatur ab hac opinione, quam vocaret paradoxum, ſi farsàn neſciret *Charitatis ingenium*, quo ſingularis (ut vita languentis meritæ mortis refugiat pœnam) medicum docet profundere vitam.

Quale charitatis ingenium?

2. Cor. 8. 8.

Ars medica per ſcientiam intendit revaleſcere ægrum, quin medicanti impendat periculum. Adhibet remedia, queis infirmus patitur; ſed non patitur remedia. Natura affligatur imbecillis incumbentiâ ſymptomatis, verùm medicus agit, non patitur propter bona ſalutis. Hæc inſtructio artis eſt: charitas autem, ut conferat decumbenti ſalutem; longè aliam ſequitur ſingularem opinionem: igitur in efficacitatem inferendi ſubſidij, vita deſtinatur medici; ut mors morte pietur, & iamiam moriturus, ne moriatur.

Singularis opinio charitatis in beneficio ſalutis.

7 Ad unguem quadrat modo fabula de Admeto Theſſaliæ Rege. Præclarè merito de Appolline (apud illum, ob interfectos Cyclopas exule) ceſsit fatum: igitur ab Apolline Parcarum exhibitum, ſeu extortum privilegium, quo ſi quis, ſuſis fati devolutis, vellet pro illo rependere vicem; effugeret mortem. Affuit dies fatalis, & etiam affuit iuxtà cervical medicinæ. Archiater Apollo, qui noluit eſſe mortis vicarius. Similiter amici refugerunt legem, incommodam conditionem. Moriturus profectò Princeps, in lecto decumbens, deſperatus à me-

Fabula de privilegio Parcarum pro Admeti vita.

medicina, ni acceſsiſſe charitatis forma: igitur Alceſtis uxor (poſteà revocata ab inferis ob fidem demonſtrationis) mortem pro illo lubens oppetivit, & capitis diſpendio vitam mariti redemit. Unde Statius lib. 3. *Sylv.*

Stat.

Ergo Theſſalico coniux penſare mariti
Funus.

Ovid.

Atque Ovid. lib. 3. de *Arte.*

Fata Phereciadæ coniux Pegaſea redemit.

Alceſtis pro marito mortē obijt.

Adeundi Plutarchus in *Numa.* Iuven. *Satyr.* 6. Callimachus in *Hymn. Apoll.* Ioann. Raviſ. Text. *Officin.* lib. 5. cap. 3.

Amiſsio vitę pro morientis medicina tantū diſcitur in charitatis ſchola.

Languet Admetus: ſalutem quærunt à medicis amici, cùm ipſi poſſent eſſe languentis medici. Satagunt de communi medicina, & conſulitur ſcientia: verùm irritum quodcunque oraculum, ubi amoris non accederet remedium: vitam etenim perdere, pro vitæ languentis medicina; duntaxat diſcitur in dilectionis ſchola. Medicus ibi erat, at nihil ibi operabatur medicus. Medicamen erat medici vita: cùm non daret vitam, etiam medicinæ ignorabat ſcientiam. Haud quærit anxius amor medicamina extrà: ſecum confertur præſtabilis medicina: & ut probaret eſſe amoris, & omninò ſingularis, coniux Alceſtis vitam lubenter amiſit, & moribundum lythro pretioſo redemit.

8 Quàm aptè in Mythologia huiuſmodi vacui cerebri cogitationes, ſive figmenta (nudè catholicæ cenſuræ iurè ludibria) dicuntur raſa cryſtallus, cui deeſt plumbum, ut ſint perſpicuum veritatis ſpeculum. Doctas enim fabulas ſequimur, & Dei præſentiam, & virtutem notam facimus. Adamus princeps orbis conſtitutus, cum univerſa propagine devovetur languens morti; qui quidem decubuerat in mortalitatis lecto; quia, ut pomum prohibicè deguſtaret, morſus fuit à latitante colubro. In faucibus mortis erat vitalis aura, nec tantùm corporali morte mortis languebat moleſtia: quippe quàm etiam mortuus, ſine morte alterius in perpetuum moriturus. Hac lege liberabitur: ſcilicèt, ſi medicus, qui cœleſtis, pro Adamo moritur. Quis ergo cogitavit decretum huius inauditi medicaminis? Charitas in ſchola cordis: & ut exprimeret reipsà miraculum, quod excogitavit dilectionis ingenium; ſurrexit confeſtim ægrotus, ſimulac vitam erogavit medicus.

Moritur Chriſtus, ne moriatur Adamus.

Senec.

Maior eſt amor, qui pari periculo redimit: dixit Senec. de *Conſolat.* ad Helviam. Homo moriebatur, ni medicus moreretur: pari ergo ſtabant periculo, ſiquidem moriturus Deus medicus, vel æger homo. Chriſtus dicit: *Ecce ego*, igitur ut oſtenderet pro homine pectoris fidem, libentēr paſſus eſt mortem. In ſacrificio Abrahæ commutatur victima, & pro puero aries immolatur in ara. Pater noſter, qui eſt in cœlis; propter nimiam charitatem perſtitit in demonſtratione ſingularis. Filium ſuum miſit, novum ſuper terram fecit, ſtudium dilectionis enunciavit, filio proprio non pepercit: igitur vitam obtulit in Cruce, & pro perdita ove. Hoc charitas in ſchola noviter docuit: maximus enim amor, qui pari periculo redimit.

Iſai. 6. 8.

Maximus amor, qui pari periculo redimit.

9 Obſervatione occurrit dignum, poſt cœnam noviſsimam aſſeclis Chriſti novum mandatum. *Mandatum novum* (inquit) *do vobis: ut diligatis invicem ſicut dilexi vos.* Novum aſſeveranter ſignat dilectionis præceptum? Quomodò novum, cùm ſcriptum ſit: *Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum?* Levit. 19. 18. Vetus eſt legis materia; ſed nova forma. Quoad ſubſtantiam priſca ſanè mandati præſcriptio, verùm nova, ſingularis in dilectionis obſequio. Perpende. Non dicit, ſed ſubaudit mandatum novum, quòd diligantur invicem: ly *Sicut dilexi vos*, vocat novum amorem. Homines diligi inter ſe, quid novi? Sicut ille dilexit, novum utique. Amare amantem, quis inficiabitur, cum natura conditum? Amor profectò amoris eſt vinculum. Amare indignum, diligere ingratum, fovere in pectore aſpidem, amplecti callidum, vaſtum, virulentum ſerpentem, & ita diligere, ultra quod diligi nequit; ubicunque prædicabitur ſingulare: Chriſtuſque iurè dicit amorem novum, mandatum novum, ſi eſt amor, *Sicut dilexi*; quippe homines, & odientes gratis, præſtant objectum eius ſingularis dilectionis.

Ioan. 13. 34.

Quo pacto amoris mutui præceptū, mandatum novum?

Amoris Chriſti inſigne, odientes gratìs amare.

Deinde. Medicus humanæ quaſſatæ conditionis deſcendit de cœlis. Medicus & expoſitus. Malè iacet, quiſquis non accedit. Vis ſanus fieri? Non nanciſcèris: nanciſceris. Fac velis. Si velis, valebis. Haud facilè ſurget, qui vult iacere. Opitulari dilecto infirmo, & medicum adſtare in acceſsionibus languido; vulgaris conditio amoris. Vitam medicum ſufficere pro infirmo, patet novum ſtudium excellentis charitatis: & dum diſcipulos magiſter excitat in mutuum amorem; non antiquam, ſed novam ſui pectoris flammam ſignat charitatis ſpecimen: quia ſolùm in ſchola inclytum, & ſingulare, ſtudium vehemens pro morituro mori. Minimè ut antiquitùs erit dilectio: in claſſe nova amoris nova præſcriptio. Olim ſine diſpendio vitæ cathedram moderabatur frigida charitas, ubi prævalebat amicorum infirmitas. Singularem in ſchola inſtituere intendo medicinam;

Et pro morituro mori.

Quale Chriſti incendium in terra cordium?

igitur hoc intuitu ignem veni mittere in terram. Sine diſcrimine, ab origine ſæculi. Vos autem non ſic. Diligite, cum diligitis, ſicut dilexi vos. Pro vobis corpus traditur, & ſanguis effunditur. Stemma amoris mei mori pro vobis in cruce. Diligite ſicut dilexi. Erit ſanè ſingulare, pro fratribus animam ponere.

10 Ultrà, & ultrò. Expendendum igitur eſt remedium, cùm imponitur noſtris vulneribus cœlicum alexipharmacum. Accedit ad curationem; & Evangeliſta medicum exhibet ſcientem; & nimis amantem. *Sciens Ieſus ::: cùm dilexiſſet ſuos, dilexit.* Dilexit diligens languentem, dum vergeret in curationis finem. Appoſitiùs videretur, ſi dixiſſet. Dominum amantem hominem, tanquam medicum peritum, cauſam acceſsionum ſcientem, languido contuliſſe ſalutem: ſecùs verò, quòd medicus ſciens, quia venit hora, ut ſalvaret mundum languidum, cùm dilexiſſet, dilexit in finem decumbentem infirmum.

Verſ. 1.

Vos eſt divina: periodus undecumquè vigilanter ingenioſa. Diligere ſciendo, erat inquirere remedium vigili ſcientiâ, ut curaret ægrotum. Diligere amando, ſeipſum vulneri adhibere remedium. Primum, ſcrutari, & perſcrutari ſcientiam: ſecundum autem, invenire medicinam: & non dicitur ſciviſſe, & amaſſe, ſed amantem dilexiſſe; quia probatio conſtabat amoris, in exhibitione inauditi medicaminis: igitur cùm medici diligentis vitæ diſpendio, ſurrexit ilicèt, qui languebat homo. Dilectio erat, inveſtigare inter abſcondita ſapientiæ ſalutem perfectam homini, ut obtineret ſalutem: at applicare incommodo tanto, pari periculo medicinam; erat dilectio ſuper dilectionem. Denique: Seipſum tradere omnium peripſema; ſingularis medicina: & Chriſtus, cùm dilexiſſet adhibito ſeipſo medicamine; aſtruit, quòd ſummè dilexit. Ni vocem *In finem* altiùs intelligas, ut niteſcat charitas. Finis cuiuslibet rei dicitur, ultrà quem nequit progredi, quia nequit eſſe. Ergo finis amoris pro infirmo erit medici vita, quia non eſt ultrà. Utique: maiorem hac dilectionem nemo habet: & dilexit uſque in finem; dum Chriſtus medicus pro infirmo ſe tradidit medicamen.

Mortē Chriſti vixit homo.

Ibid.

In amore non ultrà, ſi ſufficitur vita pro vita.

Patet iam ſuaſoria Salvatoris: igitur ut ſuperimpleat, modificat præſcriptionem charitatis. Diligite, *Sicut dilexi vos. Sicut.* Ecce modus. Homines amant ſcire, ſed neſciunt amare. Qui cupit ſcire, diligat, *Sicut dilexi.* Medici mundi in ſchola dilectionis, habituri namque eſtis occaſionem huiuſmodi novæ artis. Si languor animæ, ſi vulnus cordis, ſi mors eſt; diligite, *Sicut dilexi vos.* Medicaminor magis amando, quàm ſciendo. Mederi ſciendo, eſt obtinere medicinam à ſcientia: ſalvare amando, ſcientiam à medicina. Qui voluerit mederi, & ſcire; diſcat amare, quod docet mori. Scientia decernit ſine medici periculo, amorque cum vitæ diſpendio: hoc novum in ſchola medicinæ: hoc ſingulare. Diligite: ſic dilexi: quandoquidem ut homo ſurgeret, medicus corruit.

Medicina charitatis eſt acceptio alienæ mortis.

11 Immortalitatis munere, & vitâ iucundâ homo felix, amplioris felicitatis auſpex, prohibij dolis iacuit mortalis, plagis impoſitis, fortunâ exule, obnoxius morti, de qua non poterat ſurgere. Quid igitur fiet, ùnde mortalis in immortalem reſtituatur? Ad reparandum genus humanum quale conſilium? *Inclinare uſque ad formam ſervilem incommutabilem Deitatem*: ait Leo Pap. Homil. de *Transfigur. Dom.* Mortalis erit, qui ſolus habet immortalitatem, ut ſit capax immortalitatis mancipium mortis? O ſingulare obſequium ſingularis charitatis!

Studium charitatis in reparatione hominis.

Leo Pap.

Ex Lædæ cogitato partu, ſeu ficto (ſiquidem pluſquàm cogitatio hominis vel ludens finxit, Divinus Amor reapsè pro hominibus fecit) patet cunctis obumbratio graphyca Divini Amoris. Concepit ex Tyndaro, ſimul & Iove: ex hoc Dioſcùrum, ideſt Dei filium, immortalem enixa eſt puerpera Pollucem: ex illo verò purum hominem, mortalem quidem Caſtorem. Videndi Cicero lib. 3. de *Natur. Deorum*, Euſeb. lib. 1. de *Præpar. Evang.* cap. 7. Ludovic. de la Zerd. in *Virg. 6. Æneid.* Delr. in Senec. *Trag.* de *Hercul. furent.* Act. 1. v. 14. & Raviſ. Text. in *Epith.* & *Offic.* lib. 5. cap. 14. Fraterna igitur ductus amicitia Pollux filius Iovis, ultrò paſſus eſt mortem, ut frater obtineret etiam immortalitatem. Unde Virg. ubi ſup. v. 121.

Fabula Dioſcurorum.

Virg.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
It, reditque viam.

Ovid.

Et Ovid. lib. 4. *Triſt.* Eleg. 4.

Quo pius affectu Caſtora frater amat.

12 Unde hoc, niſi de noſtris Sacramentis? Habuit natura humana duos Adamos: primum de terra terrenum, ſecundum de cœlo cœleſtem. Corruit primus in decipulam mortis, ineſcatus hamo ſpecie divinitatis. Amor Divinus intimè punctus fratris calamitate, plura cogitavit de præſtantia medicinæ. Machinabatur, ut rediret in inamiſſibilem immortalitatem, qui amiſerat gratuitam per ſerpentem. Quomodò fiet iſtud?

Vehementia charitatis oſtentat in myſterio incarnationis.

In-

Philip. 2. 6. 7.

Chriſti ſtudio non moritur homo.

Inclinando in formam ſervilem immutabilem Deitatem : igitur niſi immortalis moriatur, frater terrenus moriatur. Mors morte pianda eſt? Ergo decernitur eb amore immortalitatis mors : quandoquidem Adamus cœleſtis pro morte terreni fratris, *Cùm in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* In forma Dei, virtute uteretur poteſtatis : in forma hominis ſtudio dirigeretur amoris ; qui vitam Theandricam ſpecialem mortis conceperat (captu nobiliori) medicinam : ac ſeiſpſum Deus ſub forma ſervi in mortem tradidit, fratremque terrenum alterna morte redemit.

Sedul. *Morte Chriſti arma mortis contrita.*

Dic, ubi nunc triſtis victoria, dic ubi nunc ſit
Mors ſtimulus horrenda tuus, quæ ſemper opimis
Inſtaurata malis, cunctas invadere gentes
Pœnali ditione ſoles?

Cecinit Sedul. lib. 5. Confer arma, & videbere victa. Audi quæ ſcis, in Dracont. de *Oper. Sex dier.* v. 274.

Drac. *Et mors ſepulta.*

——— *Gradus illic temporis iter*
Eſt tantùm. Nam cauſa ligat communis utrumque:
Exurgit cenſura Dei etiam pietate ſevera;
Ac mortis, vitæque ſimul ſententia fertur.
Supplicium infelix, quo mors de utroque negatur.
Ultio vitalis cohibetur limite mortis.

DIDASCALIA XIV.

Non eſt bonitas peſſimis eſſe meliorem.

Senec. *Monachus nequam, idolum.*

1 PRofert Senec. *Epiſt.* 76. Quod quidem perſtringit non tantùm Stoicos, ad ſpeciem benè viventes, & auræ popularis Chamæleontes; ſed Monachos, veritatis, bonorumque operum ſectatores, qui habitu, & tonſura iudicantur felices. *Quid aliud eſt Monachus religioſus, qui exterius habetur in reverentia, & nihil habet intùs meriti, quàm idolum? Tot ergo ſunt idola in Religione, quot Monachi mala vita.* Hæc Umbert. *Serm.* 5. ad Monoch. Non veſte, quam gerimus, non nomine, non domo, non barba conſtat noſtra diſciplina. Addo, nec laboribus corporis, nec ſchola ſanctitatis : ſiquidem in cruce latro habetur, & malè patitur. Non quia habebat crucem, nactus fuit felicitatem : per crucem fugere poterat, & confecit damnationem. Sanctè quàm fuiſſet ſpecies amentiæ, ſi exultaret, quia habebatur in cruce. Monachus, qui non vitæ perfectioris, non aliud eſt ſpecie, niſi ſpecies. Statua Nabuchi extrinſecùs flava, & fulva, & intùs vacua. Simulachrum abominabile cum veſtimentis David: tunica ſine Ioſeph; linteamina ſine corpore Ieſu: omnium iſtorum perſonata felicitas, igitur tantùm ad oculos bonitas. Sed quare? Promptè, quod longe à ſuis, Patriarcha Monachiſmi reſpondet, cap. 1. *Regul. Sanct.* Sic de Sarabaitis, Monachorum teterrimo genere ait : *Adhuc operibus ſervantes ſæculo fidem, mentiri Deo per tonſuram noſcuntur.* Hoc abeſt ab inſtituto, ſi fides adhuc ſervatur ſæculo : quandoquidem regnant affectus virulenti Sæcularium, ſub forma, & habitu Monachorum.

Umb. *Gloria Monachorū ab intùs.*

Monachus imperfectus Monachi larva.

S. Benedict.

Gen. 2. 17.

Monachus in Religione debet eſſe vivum cadaver.

2 Monachatus vocatur mors civilis, vita martyrium, ac aura ſepulchrum. *Morte morieris*: dicitur Adamo. Quis non in morte moritur? Monachus. Ante obitum agit ſupremum diem, ſimulac ingreditur Religionem. O Monache! Ut moriaris, ingrederis: morieris, niſi moriaris. Nonne mortuus à corde? Eſt Chriſti nomen inane? Mortuus ſentit, movetur, loquitur? Quid igitur? Vivens moreris, vel moriendo vivis? Sanè Monachi, & Chriſti inane nomen; ſi ſervas, qui non ſervat, ſæculo fidem. Ut moriaris ſæculo, ingrederis : morere : igitur timorem incutit vel minimus motus in cadavere. Salvabit ne illud; *Non ſunt ſicut cæteri hominum*? Non iuſtificatio patet, ſed faſtoſum ſupercilium. Sequi debes ut ſis bonus, ampliorem felicitatem. Non eſt bonitas peſſimis eſſe meliorem : inſurgent viri Ninivitæ in iudicium, & damnabunt iurè Monachum.

Sententia Cæſaris.

Sueton. Eraſm.

3 Quoties attentè cogito vitam Antiquorum, in hac fragili carnis conditione degentium, macerationes, anxietates, martyria, & voluntarios cruciatus; culpà rubet vultus meus. Eadem naturæ fragilitate gaudebant, eundem habitum, tanquam ferale amiculum portabant : eidem militiæ nomen dederunt, & non ſumus ijdem. Et eorum veſtigijs? Et tantorum exemplis? Cognoſcamus illos non naturæ præſtantioris fuiſſe, ſed obſervantioris. Ploravit Caius Iulius Cæſar contuens ſimulachrum Alexandri apud Gades in templo Herculis, exclamavitque : *Hic ætatis qua nunc ſum devicit Darium : mihi verò ad hunc uſque diem nihil præclari facinoris geſtum.* Sueton. in *Cæſar.* & Eraſm. in *Apophtheg.* lib. 4. Arguit eadem conſcientia, & erga vera & altiora. Eo ætatis tempore, quo in Religionis

Excitamen Monachi ad perfectionem.

nis ſtatu degimus, quanti in domo Patris mei ſpecimina portenderunt perfectionis? Quam multi breviori curriculo, non ſolùm mundum, ſed ſeipſos vicerunt? Quot angeli terreni, vel homines cœleſtes fulſerunt inſignes, diſponentes in valle lachrymarum uſque ad cœli culmen aſcenſiones mirifici cordis? Quid & nos? Adhuc ſerpimus. Et alis reptamus? Trahit ſua quemque voluptas, & philautica anxietas? Oh! Haud movet idem ſtatus, ac ſtrenuitas tantorum militum? Non excitat exemplum nobilium Heroum? Pulſat oſtia cordium incuria; ſed magis cauſa.

S. Benedictus oraculum Spiritus Sancti.

Hildeg. Rupert. S. Benedict.

4 Perpendas verba Magiſtri Benedicti docentis. Ita quidem aureo (parum pro merito dixi) divino, tanquam Spiritus Almi oraculo (Hildegardis in *Expoſit.* Regul. & Rupert. lib. 1. in eand. aſſerunt) ut Cœnobitas inſtitueret, de Anachoretis ait cap. 1. *Non converſationis fervore novitio, ſed Monaſterij probatione diuturna, contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, ſufficiunt pugnare.* Meditanter dixi : *Ut Cœnobitas inſtitueret, & inſtrueret*, dum de fervore novitio memoriam agit. Anachoretæ proficiunt, quippe ignis tyrocinij creſcit fomite ſpectabilium uſquequaquè morum : & Cœnobitæ deficiunt, quia excutitur ignitabulum, & tepefaciunt converſationis fervorem novitium.

Apoc. 2. 5.

Epiſcopus Angelus terrenus.

5 *Age pœnitentiam* : dicit Dominus per ecſtaticum Ioannem, Antiſtiti Epheſino, quem vocat Angelum. Angelum, quoniam licèt ex pulvere agnoſcat fragilé cōſtitutionem, in carne vivere debet extra carnem. *Age pœnitentiam.* Bilem commoves : ſurgam, niſi pœnitentiam egeris. Huius oneris baiulus erat Timotheus, Pauli diſcipulus, & ſanctitate celebris, & zelo divini honoris inſignis. Acuit cogitationem, cur illum, qui ſpectabilem cunctis, vitam agebat exactam, iubet agere & quamprimùm pœnitentiam? Iuſtus autem quid fecit? Iudex queritur : de quo? Dicit. *Habeo adversùm te.* Quid? Aliqui, vel omnes (præter Roman. Græc. ac Syriac. verſionem) dicunt : *Pauca. Pauca*, & talis querimonia? *Pauca*, & *Talis*; præut ſtimulat excellentia muneris. Præcellere debet Epiſcopus, ſicut præcellit officium; igitur debet eſſe perfectus, propter dignitatis onus : & etiam dum adverſus habet pauca, qui ſcrutatur corda, de illo queritur multa; quoniam Epiſcopo muneris vel leve indultum impedit ſanè adimplere miniſterium. Non enim erat ſceleſtus, ſed bonus : at non ita ſanctus & perfectus, ſicut poterat eſſe, in formidabili etiam humeris angelicis dignitate : quid mirum, quòd iudex querelus; ſi Epiſcopus non eſt, ut poteſt, immaculatus? Quid mirum, quòd querimonias excitet, dum præſes muneri, ut par erat, non reſpondet?

Verſ. 4.

In Epiſcopo vel levis macula eſt maxima noxa.

Verſ. 4.

Ita in pœnitentibus Dei gratia micat ut vel maximum peccatum æſtimet exiguum ut indulgeat.

6 Obiectionem timemur, ut confundamur. *Habeo* (ait) *adverſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.* Charitas prima iuxtà Ambroſium, Haymonem, & alios apud Alapid. hic, eſt gratia iuſtificans, & convertens illuminationibus animas: & *Pauca* dicit amiſsionem gratiæ? In ea ſummum omnium bonorum nititur : at ſi pauca, de quo queritur? Haud quia paucum, & exiguum, æſtimat; ſed quia vel ſummum eſt exiguum, ut indulgeat. Margarita amiſſa per peccatum gratia eſt; & huiuſmodi pignus ita pretioſum in amiſſione minuitur? Minuitur ſanè, ut conſtet in Dei amore generoſitas indulgentiæ divinæ: igitur ut miſericors condonet; vel maxima peccata pro nihilo cenſet.

Nihil leve in defectu muneris Religioſi.

Deum ad iracundiam provocat, quòd fervor ſpiritus in Monachis refrigeſcat.

7 Aptiùs ergo ab aliquibus haud infimæ claſsis Doctoribus per *Charitatem primam* (quia dicit *Tuam*, & charitas prima, quæ gratia, à Deo tantùm, cuius radix, & principium) non gratiam, ſed nitorem gratiæ, ſeu fervorem ardentis charitatis intelligunt : qui quidem vel propter commercia Sæcularium, aut conniventiam corruptelæ morum, evanuerat, atque ſplendorem amiſerat. Hæc *Pauca* dicit : & propter hæc, quæ dicuntur iure pauca, periculum ſuæ indignationis denunciat, niſi pœnitentiam agat? Proh dolor! Quis ex Deo ſacratis non pavet, & ad meliora commovetur, dum obiectio iudicij huiuſmodi cogitatur? Vocatus eſt Timotheus à Gentilitate in fidem, Paulum habuit ducem, ac præceptorem, quo pervenit in Eccleſia ad Epiſcopatus faſtigium, ut luceret ſuper muneris candelabrum. Illo in culmine debebat eſſe ſanctus; & omninò perfectus; ſed ingrediens in miniſteria ferventer, decurſu temporis prætermiſit, quanvis minima, oſcitantèr. Priùs erat charitas flagrans in munere, zelo Dei, ſalute animarum, incumbentià miniſterij; verum tepuit incurià : & licèt hæc, quia à negligentia, videantur pauca; niſi Præſul egerit pœnitentiam, habebit ruinam : non tantùm quia in mineſterio ſunt ſummi momenti, quæ in Sæcularibus ducuntur nihili; ſed quia cùm ſtatui & conditioni congruat, quòd charitas quotidiè magis, ac magis flāmeſcat; commovet meritò iudicis placidiſſimi ſtomachum, quòd exciderit à charitate, qua ingreſſus eſt in Dominicum obſequium. Hiſpanic. vividè: *Siente el Juez que*

debien-

debiendo aſpirar à la perfeccion mas, y mas, ſe entibien los fervores, con que entrò à ſervir à Dios.

Haud implet Epiſcopus miniſterium officij; ſi operatur uti cæteri.

8 Incumbit ſanè, quòd præcellat in nitore virtutum, qui alios præcedit propter miniſterium. Plus debet, cui plus committitur. Adimpleret namque opus, ad quod ingreſſus, ob ligamen profeſsionis; ſi fervor, quo ingreſſus in Chriſti ſcholam, perſiſteret charitatis. Si ignem conceptum foveret; ad perfectionem utique auſpicatò perveniret: at cùm ſenſim langueſcat, & ſenſim languendo, cum ſplendore charitatem extinguat; iudex indicat tanquàm maculam in Epiſcopo maximam, quòd charitatem reliquerit primam: igitur ſi primam illam cuſtodiret, & foveret charitatem, nanciſceretur proculdubio perfectionem. Innuit profectò. *Age* (inquit) *pœnitentiam, & prima opera fac. Pœnitentiam*, propter crimen ob amiſſum charitatis fervorem: tibi e[illegible]n fraudaſti, quicquid boni deſes prætermiſiſti: & *Prima opera*, ut adimpleas miniſterium. Minimè ſanè adimplebis; niſi opus, quod operaris, ſit primum. Fac opera prima, ut charitas fulgeat fervida. Opera modò oſtentant languorem, & languor operum, quòd primam dimiſiſti charitatem. Pauca hæc videntur, & reapsè ſunt multa; quippe ex his provenit perfectorum ruina.

Ibid. v. 5.

Idib.

Suſpendere in ſcala virtutis greſſum, eſt precipitium.

9 Ruina? Sanè. Intende. *Memor eſto* (infit) *unde excideris. Pœnitentiam age.* Haud Timotheus excidit: quomodò ergo memoratur ruina, ſi non excidit à gratia? Negligentia fervoris charitatis patet nota defectus, & non criminis. Deficit qui non proficit, verùm non deſcendit, & minùs cadit. Cadit ſiquidem, dum non aſcendit. Si ſequeretur, ut par erat, vehementiam ſpiritus primi, per gradus virtutum, iam adhæſiſſet perfectioni. Suſpendere in donorum acquiſitione greſſum, haud ſuſpenſionem Deus retur; ſed præcipium: & dicit meritò propter negligentiam charitatis, quòd ſit memor, unde Epiſcopus exciderit; quia excidit ſanè, non aſcedens, ubi potuit.

Anſelm.

Ruina hæc, ò Monache, in manu tua. *Nullus gradum bonæ vitæ, quem iam conſcendit, cuſtodire ſufficit* (ait Anſelmus lib. 2. *Epiſt.* 37.) *qui ſemper in altiora proficere non appetit. Semper igitur neceſſe eſt, ut nitatur ad profectum, qui ſemper vult vitare defectum.* Hoc opus, & labor. *Multò facilius reperias* (aſtipulatur Mellifluus Doctor. *Epiſt.* 96.) *multas ſæculares converti ad bonum; quàm unumquempiam de religioſis tranſire ad melius. Rara avis in terris eſt, qui de gradu, quem in religione fortè ſemel attigerat, vel parum aſcendat.* Quid eſt hoc? Undè ſerpit tantum malum? Reliquerunt fervorem novitium: noluerunt abundare in gratia: ſederunt ſub quam deſideraverant, umbra: & nullatenùs obtinuerunt perfectionem, quia primam reliquerunt charitatem. Unde lachrymabiliter incidunt in barathrum confuſionum, cùm noluerint aſcendere uſque ad altiora virtutum. Cauſam ſignavi *Tautolog.* 1. *Didaſc.* 9.

Bernar.

Oblivio vocationis temperat flammam charitatis.

10 Memento Monache unde excideris; & unde exciſus es. Attende ad Abraham patrem tuum, & ad Saram, quæ peperit te. Haud degenerem te exhibeas in nobili genere, cùm tot, ac tanti claruerint in munere. De tenebris ſœculi vocatus es in admirabile lumen, in ſtatus pulcherrimi; puriſſimi conditionem. Calcar in prædeceſſoribus habes. Et ſedis? Et ſuperſedes? Non eſt bonitas peſsimis eſſe meliorem; verùm reatus, primam relinquere charitatem. Perperàm rependis in vocatione officium, cùm deſidiæ & frigiditatis pateat teſtimonium. Excides proculdubio, ni primum illum fervorem receperis charitatis, quo ingreſſus es in militiam Religionis: etenim ut ait N. Glorioſus Pater, ubi infr. *Omni tempore vita Monachi quadrageſimæ debet obſervationem habere.* Sic vis manere, donec veniat Iudex, qui quidem ſtat ad oſtium & pulſat, ut candelabrum, quod non rutilat, moveat? Lucem indulges eſſe ſub modio negligentiæ, dum renidere debet in perfectionis cacumine? Pauca dices hæc. In Monacho non ſunt pauca. Converte vultum ad opera prima: ac in propudium oculis tuis conſiderabis, unde miſerabiliter excideris.

Friget charitas flagrans Monachi excuſsione tyrocinij.

S. Benedict.

In ſtatu Monachiſmi non inveniuntur crimina, ſed duntaxàt mundanus pulvis, quo etiam ſordent religioſa corda. Hæccine ſignantur pauca, & à Legislatore Benedicto *Temporum negligentia.* Regul. *cap.* 49. Pauca ſunt, quia iuſtificationem non expellunt; & in Religioſis multa, quia ad expulſionem diſponunt. Ubi flamma num illa, qua flagrarunt corda? Iacet inter negligentiæ cineres ſcintilla ſepulta. Alget ignis, & frigeſcit flamma pectoris, quæ fuerat fornacis. Ignis eſt, ſed fatuus, reſultans ex uſu exteriorum exercitiorum, quin accendat, ut ardeant, intima voluntatum. Ignis lucens, ſed non ardens: cùm non petat ulteriora & ſumma flamma, ut ſursùm eleventur religioſa corda. Ignis lucens, verùm non ardens; ſiquidem pigritiam non conſumit, imò crebra miniſterij oblivio fervorem deſtruit. Hac igitur omiſsiones creſcunt, & in mala infauſtè Religioſi labuntur: at circundantur confuſione miſeri; quia nullus eſt, qui recogitet corde, huiuſmodi adveniſſe ferè indeclinabile malum, quippequàm ſunt obliti illum fervorem novitium.

Idem.

Quæ fuerat ingreſſu flamma, in progreſſu apparet nec ſcintilla.

11 In captivitate Babylonica Sacerdotes, qui tunc cultores Dei erant, acceptum ignem de altari, ne profanaretur vaſtitate hoſtili, occultè abſconderunt in valle, ubi erat puteus altus, & ſiccus; ita ut omnibus ignotus eſſet locus: igitur ſi in igne virtus nitet; ni abſcondatur, evaneſcit. Multoties itaque accidit, ut nec inveniant aërem; qui ducti ſplendore proſpexerunt virtutem. Nepotes Sacerdotum illorum, poſtliminiò redeuntes in patrium ſolum, requiſierunt ignem, ut offerrent ſacrificium & *Non invenerunt ignem, ſed aquam craſſam.* Ignis converſus in aquam? Et in aquam craſſam? Nova protsùm converſio; cæterùm vitæ Monachorum ſolutioris mirifica ſanè, & appoſita deſcriptio. Ignis ſignat fervorem, quo quis Religionem ingreditur, & ut creſcat, cuſtoditur. Puteus clauſtra ſunt, & ſacra cuſtodia, qua charitatis fovetur accenſa flamma: & ignis converſus in aquam craſſam, indicat planè Religioſorum inertiam. Ignis ille vocationis ſacer eſt, & miſſus de cœlo, fovendus virtutum pabulo. Nactus eſt alite fauſto Monaſterij clauſuram, & in clauſtris transformatus eſt in aquam. Hoccine poſsibile? Flamma, qua Monachus ingreſſus eſt Religionem, in Monaſterio oſtendit virtutum frigiditatem!

Lateat virtutis ignis, ne extinguatur vento vanitatis.

2. Mach. 1. 20.

Lamentabile, quòd ignis vocationis Monachorũ oſtendat frigiditatem virtutum.

12 Ignis abſconditur, & aqua invenitur. Lamentabile quidem: igitur cor, quod debebat ut ignis petere altiora, invenitur in puteo Religionis tanquàm aqua ſupervacua. Semper plùs, ampliùſque expectatur incendium, cùm igni ſacro miniſtratur materia virtutum, queis ſanè exardeſcit ignis, & quotidie conflagrat in penetralibus pectoris. Sed quid? pro rutila flamma invenitur aqua frigida: pungente omiſsione religioſam mentem; eò quòd nec ignis inveniatur quo ingreſſus eſt Religionem. Antequàm limina ſacra ſalutaret Monachus, ardebat aliquatenùs pectus. Creſcere debuit in incendium ignis ſtudium: & invenitur aqua frigida omiſſione perfectionis; dum fervor & incrementum primæ requiritur charitatis: quippe peior in cunctis operibus invenitur, quam erat, Religionem priuſquàm ingrederetur. Antequàm in puteum introduceretur, ignis caluit: in puteo frixit: & patet ut aqua ignis, quia nec ſignum remanſit vocationis. Aqua ſymbolum deliciarum eſt, ac ignis ſpiritus: & in puteo Religionis ignis oſtenditur converſus in aquam, ad converſionis teſtimonium & notitiam: ſiquidem abdicto ſpiritu (in aquam converſo) delicias ſibi diſponunt, & excogitant in clauſtro; quas non habebant, nec habituri in ſæculo. Unde non ut reformentur, ſed ut formentur aduentant, quoniam ibi habent, unde ſolutiores fiant.

Quòd igne frigeſcant.

Quòd in melioribus deteriores fiant.

Quàm plures Religionem ingrediuntur, ut formentur nequaquam ut reformentur.

13 Nota. Ignem abſcondunt, & ignem ſacrum, quo cor immoletur contritum: at non ignem, ſed aquam inveniunt loco ignis in abditis terræ: *Cùm autem præteriiſſent anni multi.* Hem! *Dies huius vitæ* (ut ait N. Patriarcha in *Prolog.* Regulæ Sanctæ) *propter emendationem malorum ad inducias relaxantur* à Deo, quippe patientia eius expectat, ut accedat pœnitudo. Præut relaxantur dies, gradus ſtrictè exigentur virtutum, & perfectionis: ſæpeque in confuſionem, cùm profectu dierum expectetur ignis accenſus, charitate flammantior; invenitur Monachus ipſo gelu frigidior: peior quàm extra puteum in converſatione ſæculi, & poſtquàm converſionis præterierunt anni multi, igitur tempore languit ignis virtutum, in gelu tantarum imperfectionum.

Ibid.

S. Benedict.

Pudor eſt, ut in clauſtro amor ſit ſæculi, maximè cùm converſionis præterierint anni multi.

Noſtro denique ſingulari propoſito. Queror, dignè tamen, de fervore primæ charitatis extincto (non de extinctione ignis converſionis) qui vel omiſsione boni, vel diverſione in aliqua parùm perfecta, licita licèt, ſed inſtituto non congrua (de quibus Paulus 1. Cor. 6. 12. & 10. 22. cum Sirach. 37. 31. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*) nec omninò latet, nec omninò fulget. Ignis ille ſacer, incluſus in putei clauſuram, non ignis, converſus in aquam craſſam. Quare igitur dum fateor ignem; eſtò frigidũ, Monachorum pectoribus ineſſe; conqueror de ignis in aquam propudioſa converſione? Non convertitur, dum exiſtit vel aliqua ſcintilla fulgoris. Si patet aqua, non ignis. Quo pacto ergo ignis & non ignis, ignis & aqua Monachorum corda? Facùl. Accendere debent quotidie conceptum converſionis ignem, ut adipiſcantur proficiendo inſtitutam perfectionem. Niſi oleum bonorum operum crebrò infundatur, lampades ſenſim & gradatim extinguuntur. Unde flamma pectoris frigida dicitur, nec immeritò, aqua; quia ignis tepidus in fervore converſionis, non eſt ignis. Non eſt medium in religioſo corde. Vel creſcit, vel decreſcit: at ubi labi ſemel cœperit, nullis

Monachi licèt aliis qua liceant, non omnia licita expediunt.

Ignis tepidus in fervore converſionis, non eſt ignis.

viribus ſiſti poterit: quapropter quiſquis in clauſtro fervidum, quem concepit, ignem non habet; non habet ignem, ſed aquæ frigiditatem: quippequàm ni aſcendat ſursùm alis auctæ charitatis, deſcendet deorsùm onere relaxationis.

14 Ultrà progrediamur in extricatione dati ignis de cœlo, ut cogitet Monachus momentum perfectionis in clauſtro. Aqua ex puteo in ſacrificia allata eſt, ac illâ cum victimis & ligna aſperſa. *Utque hoc factum eſt, & tempus affuit, quo Sol refulſit, qui prius erat in nubilo; accenſus eſt ignis magnus, ita ut omnes mirarentur.* In Tropologia huiuſmodi hiſtoriæ claret, quàm ſit difficile, iterùm ignem in corde Monachi accendere: igitur ni deſcendiſſet de cœlo, aqua frigida ignis maneret in puteo. Difficilis ſanè converſio in ſtatum priſtinum, cùm in converſione deſcribatur miraculum. Omnes mirati ſunt, igne accenſo ex aqua, cùm ſcirent, quòd in aquam eſſet flamma converſa. Meritò mirantur: ſiquidem in nullo Deus noſcitur mirabilior, quàm in eo, quòd excitet ignis flammam, quæ converſa iam fuerat in aquam frigidam. Sæpenumero uſuvenit, ignem converti in tepidam aquam, quippe facilis deſcenſus, & evanet fervor ſpiritus: ſed revocare gradum, & aquam converti in ignem; ſanèquàm novum: unde dicitur miraculum, quia licèt ex fervida charitate ſæpeſæpius videatur tepefatio fervoris; fervor charitatis ex gelu, & nive pectoris, rara in terris patet avis.

Ibid. v. 22.

Miraculum eſt ex frigiditate dilectionis tranſire in fervorem charitatis.

Converti in priſtinã charitatẽ, quàm difficile?

De cælo qui cecidit ignis abſumpſit victimam altaris, vim etiam flammæ lapidibus indentis. Huiuſmodi flamma (ut hic Sancto placet) ub altari lapidibus provenit; victimas autem, quæ in altari, ignis de cœlo percuſsit. Lapides Sæcularis indicant, victimæ altaris Religioſos demonſtrant: & ut pateat, quàm ſingulare, difficileque ſit, rursùs ignem accendi; flamma ex altari ſufficit ſaxeis cordibus Sæcularium, & de cœlo mittitur ignis ut accendantur iterùm pectora tepefacta Monachorum. Præ fulgore in conſpectu Dei nubes peccatorum tranſierunt; quia in clauſtro crimina, acriter compuncti deplorarunt: & in fulgorem etiam tranſierunt *Grando, & carbones ignis.* Ecce Deus mirabilis: inflammavit grandinem, cùm Religioſos eduxit de vita ſæculari: & carbones ignis, cùm iterùm accendit in Religione. Verùm oh! Qui carbones debebant eſſe ignis tepefactis, vel in igne pectoribus, ſunt grana grandinis. Quare? Dicam.

Sanct.

Plus opus eſt, ut corda tepida reflagrẽt, quàm ut frigida cõflagrent.

Pſal. 17. 13.

15 Mundatus eſt Naámam Syrus à moleſta lepra perfacili medicinà. Septies lotus in Iordane, reſtituta eſt caro eius ſicut caro pueri. Agnovit miraculum, veneratus eſt miniſtrum, cognovit non alium eſſe Deum; & ait ad Eliſeum: *Obſecro, concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra.* Ad quid enim? Faxò dicit: *Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam; ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo pro hac re.* E terra Iſraël ſanctificata tot miraculis, Patriarcharum domicilijs, ac templo & miniſtris celebri, ſupplex petijt onus tollere, ut adoraret (adorante Rege idolum Remmon) Deum Iſraël. Sic alij: *Ut adoret curvo corpore cum Regi idolum Remmon, & curvo corde Deum Dominum Iſrael: & ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo,* ſi offenderit adoratio. Iam enim rimatur offenſam Dei ſummi, cùm ſibi poſcat ignoſci. Fatuitas eſt, quaſi eſſet Religio vera, adoratio politica. Cognoſci modò verum Deum, & adorare intendit ſimulachrum? Sanè fatuitas. Quæ ſocietas luci ad tenebras? Qui autem conſenſus templi Dei cum idolis? Nullum conſortium fidelis, & infidelis. Antequàm cognoſcérat ſacrificia eſſe ſacrilegia, aliquam habebat excuſationem de peccato ſuo: at poſtquàm veri Dei affuit cognitio, unire ſacrificia, & ſacrilegia; eſt planè inſania. Amentis ſanequàm patet fiducia; ſperare horum remiſsionem, vel indulgentiam criminum, quia erat in terra Sanctorum.

4. Reg. 5. 17.

Verſ. 18.

Fatuitas eſt ſperare remiſſionem criminum, quia habitatur in terra Sanctorum.

16 Eiuſmodi fatuitate plerique laborant in Religione. Vocantur in illam propter medicinam animæ. Agnoſcunt ieiunia, vigilias, ærumnas, lachrymas, & alia exercitia eſſe Iordanem, quo ſæpe abluti, liberantur à lepra. Mirantur prodigium, & etiam ſæculi venerantur idolum. Ad quid Monache veniſti? *Ut ignoſcat mihi Dominus.* Ut ignoſcat Deus Iſraël, ſi adoraveris in templo Remmon? Vanitates iurè peſſundatas adorare, carnis deſideria ſequi, idola in cuſtodia pectoris ſervare, & reſervare, eſſe in choro cum Sæculi ſimulachro, illi ſervare fidem, haud promiſſam negationem, alta ſapere, utilia neſcire, & ſic ſperare gloriam, quia habitas tellurem ſanctam; fatuitas eſt mentis impotis: & etiam cauſa doloris, quòd qui inſipienter beatudinem expectat, vel in terra Sanctorum iniqua agat.

Inſipientes venerantur mundum & cœlum.

——*Nec cedite curis.*
Virtuti damnoſa quies, nullumque coronat
In ſtadio ſecurus honor: ſua gloria forti.

Virtuti damnoſa quies.

Cau-

Cauſa laboris erit: raruſque ad gaudia miles,
Cui pax ſola fuit: victoria ſemen ab hoſte
Accipit.

Arator.

Canit Arator lib. 1. in *Acta Apoſt.* & Sil. Ital. lib. 9. de *Bell. Pun.*

——*Nam virtus futile nomen,*
Ni decus adfuerit patiendo, ubi tempora lethi
Proxima ſint, pulchramque petat per vulnera
laudem.

Sil. Ital.

Hic itur ad aſtra: aliter non gloria, ſed ignominia. Si vis laudem; non eſt peſsimis eſſe meliorem.

DIDASCALIA XV.

Mors Chriſtianis ludus eſt.

1 CEcinit Prudentius in *Periſtephan, Hymn.* in laudem Divi Vincentij *verſ.* 1303. Succinit Otho Vænius Emblem. 44. *Amor.*

Prud.

Ludendo capimur——
Atque iocos inter vincula miſcet Amor.

Oth. Væn.

Si mors tormentum, & ſummum, ludus tormentum? Utique. *Mors* (ait Auguſtin. lib. 13. de *Civit. Dei* cap. 4.) *quam vitæ conſtat eſſe contrariam, inſtrumentum eſt, per quod tranſitus ad vitam.* Cupit diſſolvi è vinclis, obicibus gaudij; quiſquis in patriam de reditu ſatagit, punctus amore: & dum mors accedit, oblectatur, quia vel amara blanditur. Amor inter vincula miſcet iocos, & mors etiam inſtruit ludos, propoſito gaudio; quia prodeſt ſola nocendo. Quid eſt mors? Chriſtianis pœna, vel ludos? Ludus & celebris: igitur qui cuſtodit amando, profectò perdit: & qui perdit in ludo, ſanè cuſtodit. Nonne gaudium, dum miles obtinet triumphum? Mors nihil aliud eſt, quàm exitus animæ de carcere, finis exilij, laboris conſummatio, ad portum applicatio, peregrinationis finitio, de equo furioſo deſcenſio, de domo ruinoſa liberatio, omnium ægritudinum meta, cunctorum periculorum fuga, malorum evaſio, vinculorum diſruptio, ſolutio debiti, terminatio tributi, reditus in patriam, & ingreſſus in gloriam. Unde Seneca *Epiſt.* 24. ait: *Adeo mors timenda non eſt, ut beneficio eius nihil anteferendum, timendumve ſit.* Et Plato apud eundem de *Conſolat.* ad Martian. cap. 23. clamat: *Sapientis animum totum in morte prominere, hoc velle, hoc meditari, hac ſemper cupiditate ferri in exteriora tendentem.* Si huiuſmodi, tanti eſt, quippini erit ludus, tendere in immortalitatem? Iam non mors in ludo terra, cum ſit paſcha.

Auguſt.

Mors prodeſt nocendo.

Quale bonum mortis?

Mors beneficium.

Senec.

Plat.

2 Angonalia apud Antiquos ludi erant, quos feſtivè populus ſpectabat. Unde Ovid. 1. *Faſtor.*

Nomina de ludis Græca tuliſſe diem.

Ovid.

Vide Guilielm. Stuckium de *Sacrificijs*, & Roſin. de *Antiquit. Roman.* lib. 4. cap. 5. Ludus erat, & certamen. In Martyribus Chriſti fauſtum omen: igitur ita parvipendebant vitæ diſpendium, ut in certamine experirentur iucundiſsimi ludum.

Agon ludus.

Ludens in orbe terrarum inſignitur incarnatum Verbum Divinum. Si attentè impexeris, deſcendit in ima (inferiores partes terræ) ut ſolveret crebris laboribus labores primævæ culpæ. Quale igitur gaudium; ſi in omnibus perpetitur, & uſquequaque tormentum? Triumphavit de Deo amor: & inſtruxit ſumma charitas, ut vel agonem reputaret delicias. Triſtatur lætitia, pavet fiducia, ſalus patitur, vita moritur, & ludit? Sanè: ludebat igitur in orbe terrarum, ut irruebat, uti gigas cohors tormentorum. Noſtræ enim miſeriæ fuerunt delitiæ Chriſti, ut etiam certamina fierent delitiæ noſtræ. Ludit patiens, nobis relinquens exemplum; ut vel ipſum tormentum rutilet gaudium.

Prov. 8. 31.

Paſſio amantis ludus eſt.

3 Specta certamen, & videbis feſtivum agonem. *Propoſito ſibi gaudio* (ait Paulus) *ſuſtinuit crucem.* Si currere debemus per patientiam ad propoſitum certamẽ, aſpicientes in fidei Auctorem; quale ex cruce gaudiũ, dum patientia præſupponit acre tormentum? Crux mortem, & crudelem deſignat; gaudium autem voluptatem oſtentat: & dum Chriſti exponitur acrius tormentum, non ut tormentum exprimitur, ſed ut gaudium; quippequàm virtute, & animo ludit cum angore mortis, ſuſtinens ultrò vel cruciamina ſtipitis.

Heb. 12. 2.

Tormentum gaudium.

Veteres Volupiam, voluptatum Deam, coluere, & Angeroniæ ſimulachrum in eodem altari. Vide Vincentium Chartarium de *Imaginibus Deor.* fol. 249. Unde Seneca in *Thyeſt.* v. 595.

Chart.

Dolor ac voluptas invicem cedunt.

Conciliavit Iupiter dolores, & voluptates deſsidentes, ut ſe ſequerentur mutuò, vel manente diſsidio.

Simulachra ſupeſtitiosè Priſci coluerunt, & veritatem nullatenùs inveſtigaverunt. Angeronia ab angore accepit nomen, Volupia autem à voluptate: & collocant angoris, & voluptatis ſtatuas, ut pateat cunctis pectoris animoſitas: quod quidem ita angores placidè perfert, quaſi in tormentis voluptuosè luderet. Plerumque in fano videbantur Volupiæ & Angeroniæ ſimulachra,

Volupia & Angeronia in eadem ara.